Quæstio Medica.

Disputanda pro Quodlibetaria In Scholis Medicorum die Jovis 6.ª Februarii. Præside Literatissimo Viro D. Joanne de froictdeval Doctore Medico.

Decretoriorumne dierum Causa, Cæli aut Lunæ motus?

Morborum in universum tria prima genera, certis atq; definitis limitibus circumscripta: quatuor universalibus temporibus, principio (in quo si nihil turgeat, nunquam medicandum) augmento, statu et declinatione (quæ omnium sola mortis periculo caret) notis tum cruditatis, quæ semper perniciem, aut morbi longitudinem promittit, tum concoctionis, quæ ex alvi excrementis, urinis et sputis petuntur, distinctis clauduntur. Quæ quantum extendi, aut contrahi debeant, ex morbi idea, anni temporibus, comparatis inter se periodis et Epiphænomenis dignoscitur. Horum autem cognitio etsi ad crisium prædictionem sit apprimè utilis, status tamen præ omnibus in quo concoctionis exquisitæ appareant (quæ non solum primum, et maximum instantis, et præsentis bonæ crisis, sed quo sit duratura judicium præstant) necessaria.

Quamvis in omnes morborum classes cadat crisis (quæ omnes morbos, et eorum nonnullos nulla ~~[illegible]~~ aut excretione, aut abscessu manifesto, per-spersso solui contingit) ea tamen quæ talis absoluto sermone appellatur, in his duntaxat morbis expectanda: qui præter id quod primæ classis, et acuti, aut peracuti, à maxima affluxu ortus sui principium habent. Unde sane pro varia naturæ et materiæ pugna, variisq; cœli, et lunæ per zodiacum periodis nunc paribus, alias imparibus diebus, cum insigni et manifesta excretione, aut abscessu quiescere, et finiri, cum experientia, tum ratione comprobatum est.

Subita ad salutem conversio (quæ sola crisis simpliciter dicitur) in statu, aut postrema incrementi parte expectanda. Mors verò in principio, augmento, et statu. Illam autem ubi jam instat, non parva in ægri corpore præcedit perturbatio; quo tempore et multò minus dum adest, aut facta est, nunquam medicandum. Hanc verò extrema virium imbecillitas, quam quædam sequela comitatur cruditas, aut minima concoctio: ad quam si accedat morbi magnitudo, et vehementia statim adfuturam prædicendum. Dierum autem qui aliquam decernendi vim habent, primas omnium tenent 7, 14, 20. Secundas verò 9, 11, 5, 17. Tertias denique; 4, et 3. qui ut primus circuitum qui imparibus decernunt, ita illi qui paribus. E quorum ordine 8. 10. 12. 16. 19. longe exclude experientia commonstrat.

Est autem crisium dignitas, et vehementia, paulatim procedente tempore remittuntur adeo, ut quæ post quadragesimum diem (qui chronicorum morborum primus decretorius dici non potest) sunt omnes prorsus languidæ, et dissoluantur, et concoctione potius, vel abscessibus, quam crisibus morbos terminent: ita decretorios variari, et observari plane contingit: solos verò semper sua ornamenta retinere, qui absolutum decretoriorum numerorum circuitum describunt. Is etenim est primus, qui primo vigenario constat: in quo decretorii expectandi, non modo per quaterniones, et septenarios, qui sunt validissimi et perfectissimi: sed et intercedentes.

Decernentium dierum supputatio non à decubitu, aut quavis partis corporis humani læsione, sed ab ea quæ adeo insignis deprehenditur, ut in consuetis operationibus impediantur ægri inchoanda: ut à partu si secundo, aut tertio die febrem incurrat mulier. quibus ut diversa decernendi vis, et vehementia, ita diversa constituenda causa. His etenim qui ea decernendi dotes occupant, ut perfectissimi, et nobilissimi: ita perfectissima, et nobilissima. Non itaq; numerus, aut natura, aut materiæ motus, aut casus: sed cœlum, à quo pulchrum omne, quod in hoc orbe pulchrum, ordinatum, artificiose redditur, dependet, et præsertim luna, quæ in morbis præcipuè quorum humores levi occasione moventur, lumine, et configurationibus imperium habet. Reliquis verò, ut sine ordine errantibus: ita inordinata, et erratica statuenda causa.

Decretoriorum itaq; dierum causa, Cœli, aut Lunæ motus.

Afferebat Petrus Cointius Ambianus. 1549.